

*mibi cura est, ad G. Spalatinum scribit, & optimorum adolescentulorum in sacras literas mire ardentium studia nollem in ipso jam lacte immolari.* \* Credite, quotquot legitis hæc, in eum tunc statum feliciorum devenisse res academicas, quod viri illi optimi verum attenderent bonum ecclesiæ, idoneis pastoribus exornandæ, ad æternam salutem animarum. Unde factum, cum sensim deflecteretur ab illo moderamine, ut Augustus Elector Saxonie Theologiæ Professores eo reducere tentaret, in ordinatione, quam vocant, scholastica, constitutionibus ecclesiasticis notabiliter affixa, ex qua præcipua facile sunt, quæ venerandus D. Spenerus in *Pref. de impedimentis studii Th.* & ante eum Joh. Olearius noster in *Theol. Univ. p. 171.* laudavere.

Properandum vero tandem missis aliis ad id, quod paulo ante de communi vigilantia circa omnes quinque usus theologicos innuimus, quam *Scriptura* Professoribus abjudicaverit non nisi iste, qui hos ipsos a Scriptura quibusvis docentibus statutas esse, & Theologiam theoreticam ad usum Scripturæ didascalicum, anthitheticam ad elencticum, moralem atque casisticam ad pædeviticum, epanorthoticum & paracleticum exprimi oportere dememinit. Circumspectioris igitur Theologi nomen is reportet, qui circumlatis, ad omnes usus Theo-

B

logi-

\* Ill. V. L. a Seckendorf. l. 1. Hist. Luth. f. 23. 53. 59. conf. ejusdem, *Christen-Staat* p. 510. 550. 586. 590. quibus adjicere libet, quod Petrus Schade Mosellanus Professor Græcæ linguæ Lips. ad Conradum Mutianum Canonicum Gothanum scripsit 1520. Ill. Id. Nov. *tota juventus in SS. literarum studia prona fertur. ipsum adeo me certe non optimum Præceptorem Paulinas epistolas interpretantem audiunt plus minus trecenti. vide, quantarum vicissitudinum olim hæc literæ, ut jejuna, sordebant omnibus: nunc ceteris rejectis hæc solæ placent.*